



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 149. Quandonam committatur usura circa varios contractus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

Quòd si partem restituerit, pœna debet responderi soli parti non restitutæ, *Mol. d. 317. n. 9. & alii. 4.* Mora debet esse notabilis, secundùm qualitatem negotii vel morem Patriæ: Debet autem solvi ante sententiam Judicis, uti tenent multi contra *Tambur. §. 3. n. 10. & alios multos, quos c. 7. §. 7. n. 28. citat.* Ratio est, quia debetur ex vi pacti inter partes initi; non est tamen opus solvere ante expressam vel tacitam petitionem mutantis, nisi esset imposita ratione lucri cessantis vel damni emergentis; & possumus hìc loqui eo modo, quo n. 606. locuti sumus de pœna conventionali, quæ contractibus apponitur: ita quoad omnia *Pirh. n. 52. Spor. n. 57.* aliique communiter. Vide *Gasp. Roder. de ann. redit. l. 3. q. 5. à n. 1.*, nam multi dicunt pœnam exigì non posse, nisi quatenus interest. Vide etiam, quæ postea habet q. 8.

Q. 149. Quando nam committatur usura circa varios contractus. R. Colligetur ex seqq.

§. 1. Si Cajus deponat pecuniam apud Titium, datâ ei facultate utendi & de ea ad libitum disponendi, cum pacto, ut Titius pro usu de 100: solvat annuè 10:, est usura palliata, videtur enim reipsa esse mutuum, uti habetur *L. Certi §. ult. & LL. seqq. ff. De rebus creditis*, quia cùm detur jus de ea disponendi, reipsa transfertur dominium, *Laym. n. 5. Spor. n. 96.* aliique: hinc *Nav.* apud *Laym.* ait, omnis depositio rei consistentis in numero, pondere vel mensura, concessâ facultate utendi, & adjecto pacto aliquid propterea solvendi deponenti, injusta est. Idem est, si constitutam te procuratorum meorum reddituum, datâ facultate utendi meis pecuniis, sed cum pacto, ut ideo mihi aliquid solvas.

§. 2.

- 899 §. 2. Si Cajus Titio petenti 100: mutuos dicat, non mutuo tibi, sed à te emo tuas sex vaccas pro 100:, quos trado, easque vaccas tibi iterum eloco pro annua pensione 12: florenorum, excusatur communiter ab usura, si id sincerè fiat, & serventur reliquæ conditiones locationis, inter quas erit, ut periculum vaccarum spectet ad Cajum tanquam emptorem & dominum eas elocantem; est tamen hic periculum usuræ, saltem mentalis, *Spor. n. 99.*
- 900 §. 3. Si Cajus Titio petenti mutuum dicat, non mutuo, sed hac pecuniâ conduco operas tuas ad futuram messem, & anticipato solvo tibi hanc mercedem, excusant *Mol. Laym. Spor. supra & alii.*
- 901 §. 4. Contractus antichrifeos, vulgò, *Einpfindtschafft*, est contractus pignoris vel hypothecæ adjectus mutuo, quo convenitur, ut mutuans tamdiu percipiat fructus rei oppignoratæ vel hypothecatæ, donec fors refundatur: an autem id licitè fiat dicemus n. 1115. potestque videri *Pirh. à n. 85.*, Quando nam autem interveniat usura circa emptiones, venditiones, census, cambia, dicetur, quando de illis contractibus.
- 902 Q. 150. *An contractus Mohatra sit usurarius* R. §. 1.
Contractus *Mohatra* tum est, quando quis vendit rem magno pretio, cum pacto, ut emens ipsi statim revendat pretio minore, v.g. pretium pallii intra justitiæ fines potest esse summum, infimum, medium, nempe 22: daleri ad summum, ad minimum 20:, & consequenter etiam 21., Itaque si Cajus vendat Titio pallium pro 22:, cum pacto, ut Titius statim revendat Cajo pro 20: vel 21., hic contractus Hispanicè dicitur *Mohatra*; Italicè, *Stocco.* §. 2.